Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. II. Pars I.
Wien, 1799 Seite 945
Quelle:
Copyright:

Libros, ut in fine XXVIII. pro XX. exeant. Advertit id Librarium; cum enim jam subjecisset rubricam: *Explicit Isiodorus continens in se viginti octo libros. Sub anno. D. M° CCCC° XII°.* τὸ *octo* rursus delevit, nisi dicas, id factum ab alio. *Bohemum* hominem fuisse docent non semel adjecta quaedam illius gentis lingua. Ita *fol.* 77. L. IX. c. 7. ubi de *Materteris* agitur, legas: *Ach awech ma myla kassy mye.* Schemata curate adpicta sunt. Lectio de melioribus est, saepius etiam secundae manus, sed Vocabula graeca passim jugulata.

CCCCX.

U.54 Codex membraneus lat. Sec. XIII. Folior. 149. f. bene exaratus, rubricis distinctus, et ab incomparabili *Joh. Fabro* Antistite nostro, ut notum illius Προγραμμα typis expressum in fronte docet, a. 1540. Collegio suo ad S. *Nicolaum* in usum Juventutis scholasticae legatus sequentia continet: I. praemisso quodam Fragmento homiletico in *Genes.* III. a v. 21. incipit p. 2. *Expositio cuiusdam de operibus sex dierum.* Ita quidem: *De principio libri genesis in quo mundi hujus creacio descripta est multi multa dixere.* Τὸ *cuiusdam* fortassis inde est, quod jam olim de Autore hujus Expositionis ambigeretur, aliis in *Junilium* Sec. VI. in *Africa* Episcopum, aliis in *Bedam* inclinantibus, cujus reipsa est et legitur edit. *Colon. Opp.* T. IV. 1688. p. 1. f. Codici nostro probe respondens, nisi, quod hic Inscriptionem: *Dilectissimo ac Reuerendissimo Abbati Accae* &c. cui Ἑξαημερον istud dicat *Beda*, omittat.

II. *fol.* 17. *Super genesim.* Atque istud quidem calamo recentiore super locum erasum. Praeoccupanda ergo vera Operis Inscriptio, prout habetur *fol.* 113. *Incipit Explanacio Quam Fecit Viuchbodo Presbiter Domini Caroli Imperatoris ex libris sanctorum patrum id est Hieronimi. Augustini. Ambrosii. Hilarii. Eucherii. Gregorii. Isidori. Junilii. Bede.* Pauca, quae de hoc *Wichbodone*, *Wichodo*, *Wigbaldo* ad nos pervenere, conjecturis nituntur. Detexere DD. *Martenius* et *Durandus* in S. *Maximini Trevir.* Coenobio Codicem ejus *Quaestionum in Octateuchum*, videlicet in 5. *Libb. Mosis*, *Josue*, *Judicum* et *Ruth*, praenotatum: *Carolus Rex Francorum et Langobardorum ac Patricius Romanorum hunc Codicem ad opus suum scribere jussit*, et triplici Poematio praevio munitum; cum autem viderent, *Quaestiones* has meris PP. supra citatorum sententiis, dictisque constare, non nisi eas, quae sunt in prima III. *Geneseos* Capita, inseruere T. IX. *Collect.* suae *Ampliss. Vett. Scriptt. Paris.* 1733. f. ad p. 293. praemissis illis Poematiis, e quibus praeter *Caroli* laudes, nomenque *Vuigbodi* nihil ad historiam eruas, ne fundamentum quidem, quo nixi Autores *Historiae liter. Franciae* T. I. p. 177. de *Presbytero* nostro scriberent: *Il y avoit plus d'un siecle, qu'on ne voioit*